

DIALOGUS XXXVI.

De Pallade, Minerva, & Musis.

PUBLIUS.

I. **S**æpius jam de *Pallade*, Numorum, in quibus occurrerat, causa, sermonem habuimus in Exercit. Procem. Dial. II. VI. XI. XII. suis ubique numeris: unde addidici, cur Poëtarum somniis Jovis e cerebro nata, cur Artium Præses conficta fuerit: quare Gorgonis caput anguibus crinitum, quo homines in saxa convertit, in ægide, aut clypeo exhibeat, & qua de causa bubonem, vel noctuam, comitem habeat. Spero autem nunc abs te multo saniora ex meditationibus Domini *Plucho* intelligere, præ cuius resectis paganorum Numinum Originibus jam omnis Mythologia veterum undique mihi desipit. *TULL.* Mentem ejus jam quidem aperui Officioso in Ludo meo in Tesseram illustrissimæ Societatis Incognitorum Olomucensis, cui titulus: *Noctua Moravo - Austriaca omine optimo accepta*, edita Cremfii in 4. to An. 1751. & Numis nonnullis illustrata. Sed quoniam in præsentī Dearum ordine *Pallas*, & *Minerva*, citra palmarum injuriam, negligi non possunt, origo quoque earundem antiquissima, & primigenia dissimulari minime debet: quæ rursus non aliunde, quam ab *Iside* Aegyptia, a perspicacissimo Philosopho nostro Gallo repetitur.

II. Præmittit ille, *Sain* Urbem inferioris Aegypti, tribus cum Libr. I. primis prærogativis gavisam esse. Primum, quod Olivis ferti-
Cap. II. lissima fuerit: deinde, quod Linum uberrime confecerit: demum,
§. 14. quod aluerit Pubem fortissimam, ex qua plerumque, dum bellum instaret, Milites deligebantur, sive, dum Venatio ferarum adhuc
bel-

bel i nomine veniebat, robustissimi Venatores exire consueverant. Hinc *Saita*, dum Signum *Isidis* exposuerunt, tanquam Ordinatricis Festorum, ac laborum, per annum agendorum, si Neomenia, i. e. Nova Luna, qua Festum fieri debuerat, vesperi, aut noctu contingeret, ac proinde Sacra nocturna prænunciaret, *Isidi* adjunxerunt *Noctuam* tenebricosam Avem: si mane innovaretur Luna, comes *Isidis* fuit *Gallus* gallinaceus. Quando pro fertilitate Olivarum, unde maxime sustentabantur, grates Deo canendæ, *Isidem* coronarunt frondibus *Olea*. Si pro Lini ubertate laudandus Deus, *Isidi* dabant in manus *Licitatorium* texentium. Viri Militares cum essent, *Isidem* suam ornabant hasta, & clypeo: cui Serpentes, Vitæ symbola, communi more, inseruerunt. Pergit abinde, ac docet, *Herodoti*, *Diodori* Siculi, aliorumque testimoniis, *Athenienses* fuisse *Saitarum* Coloniam, nec minus, ac hi, bellicosos: præterea pariformiter in *Oleis*, Linoque colendis, more Patrum suorum, industrios, ac felices. Non itaque dubium, primos hos Colonos ex Materna Urbe sua Signa quoque *Isidis*, ibi varie proposita, secum attulisse.

Idololatria vero jam infecti, adornabant hoc e Signo Deam, tam vera ejusdem institutione, quam nominibus abusi. Gnari enim *Isidem* ad omnia Festa indicanda, & ordinanda expositam fuisse, finxerunt eam Sapientiæ Præsidentem, cumque Ritus divinatorum docuerit, commenti sunt natam e cerebro Jovis. *Palladis* nomen fingendo, & refingendo, molliori tandem dialecto construxerunt ex *palal*. i. e. *ordinare*, vel ex *petilab*, h. e. *Ordinatio*, sive *Ordo publicus*. Dum *Isidi* propter Neomeniam nocturnam agendam viderunt additam noctuam: hanc lucifugam Avem, quæ aliunde Athenis frequentior, ac alibi fuit, retinuerunt libenter, ut studiorum symbolum, quæ noctu ad lampadem optime sunt: nec deerat occasio mentiendi, cur *Pallas* coturnice, dilecta prius *Ave*, repudiata, *Noctuam* præelegerit, internecino harum volucrum odio fundamentum suggerente.

Armatam *Isidem* cum cernerent, fecerunt *Palladem*, ut *Artium*, sic & *Armorum* Præsidentem, sub nomine *Minervæ*: dederunt ei *Scutum* *Gorgonidis* viperinis crinibus, cum virtute, aspicientes in saxa convertendi. Imposuerunt eidem Coronam oleagineam

III.

IV.

neam, quæ facile cum Lauro commutata fuit. Unde vero? Ple-
raque omnia propter Festum Olearum quod *Isis* apud *Sain*, quæ
Zaitb lingua patria, i. e. *Olea*, vocabatur, præsignabat: vel a
Festo Lini prænunciato. A postremo nomen *Minervæ*, ductum
a *Manevar*, i. e. *Licitatorium*, quo textores utebantur. Nomina
Medusæ, item *Gorgonis*, cujus caput in clypeo Palladis anguibus
horret, ab olearum expressione deducta. *Medusæ* quippe a
Dusb, h. e. *torculari exprimere*; a *Galgal*, i. e. *Rota torcularis*, fie-
bat *Gorgol*, & *Gorgo*: unde *Gorgonis*. Inde, quod in expressio-
ne Olivarum remanerent Nuclei duri, quibusdam dicti lapides,
ansa erat fingendi, *Gorgonidem*, i. e. *Palladem*, Olearum Deam,
intuentes convertere in lapidem. Demum Serpentes, in *Vix* sym-
bolum, apud *Saitas* per Olearum ubertatem sustentatæ, *Isidi* ad-
juncti, quorum vera notio exciderat, migrare debuerunt in crines
Medusæ, cum ignorantia, tum petulantia Artificum.

V. *PUBL.* Hanc tu Deam duobus iterum Numis, videlicet
Tab. VII. Septimo, & Octavo pinxisti. In priore stat *Pallas* galeata, cum
N. VII. hasta, & clypeo pone se, dextra extenta noctuam gestans:
ΑΔΡΙΑΝΗΣ ΤΑΡΣΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ: i. e. *Hadrianae Tarfi Metropo-
lis*. *TULL.* Est hic Numus apud *Cl. Patinum* p. 215. inter æreos
medios *Crispinæ Uxoris Commodi*, & sola Noctua omissa, pari-
ter in ære *Commodi*. Porro septem Numos *Tarfi*, Metropolis utri-
usque Ciliciæ, cujus Civis fuerat *S. Paulus Gentium Doctor*, pro-
tulit *Cl. Erælichius* in *Appendicul. Ad Vaillant.* ubi vero nullibi
legitur *Adriavus*: cujus rationem nec ipse *Patinus* reddere potuit.
Alia interim *Tarfus* extra *Ciliciam* neque a *Plinio*, aut alio quoli-
bet, commemoratur. Adhuc igitur ignoro, quid beneficii *Hadria-
nus* in *Tarfum* contulerit, quod mereretur, ut ab illo nomen as-
sumeret.

VI. *PUBL.* Numus alter *Claudii* Imperatoris apud me in ære
Tab. VII. medio est, redhibens *Minervam*, vel *Palladem Strativam*, quod
N. VIII. ajunt, galeatam stantem, cum clypeo rotundo elato, dextra te-
lum intorquentem. Epigraphe: *IMP. T. itus VESP. AUG. RE-
S. I. ituit.* Teneo & ipsum *Claudii* Numum, hic restitutum. Præ-
terea tres Numi argentei mihi sunt. Primus *Domitiani*, in quo
Pallas, ut ante, *Strativa* consistit in prora Navis, noctua pedib.
ejus

ejus adstante. Alter ejusdem, ubi Pallas galeata stat, hastam gerens, ac fulmen, clypeo ad pedes accumbente. Tertius demum *Septimii Clodii Albini* Caesaris, ubi Pallas cum clypeo, & hasta stans, dextra Oleam praefert. Adscribitur: MINERVAE PACIFERAE. De olea non miror, quia bellum geritur, ut Pax obtineatur. Fulmen vero, quod *Jovis* est, unde *Palladi*? an, quia Filia ejus?

TULL. Jam in *Agathoclis* Syracusarum Tiranni Numo tuo, quem pinxeram Exercitat. Procem. Tab. I. n. 4. si memineris, vidisti Fulmen, Capiti *Diana* in Aversa oppositum: quia nimirum fabulatoribus nulla licentia nimia. *Virgilius* de *Pallade* cecinit:

VII.

Ipsa Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem

Quem ad versum *Servius* ex *Petri Danielis* recensione: „ cum *Var-*
 „ ro *Divin.* V. quatuor Diis fulmina adsignet, inter quos & *Mi-*
 „ *nerva*: quaeritur, cur *Minerva Jovis fulmen* miserit? Antiqui non
 „ solius *Jovis* putaverunt esse fulmen: nec id unum esse, ut te-
 „ stantur *Etrusci Libri de Fulguratura*, in quibus duodecim genera *Ful-*
 „ *minum* scripta sunt, *Jovis*, *Junonis*, *Minervae*, sic & aliorum.
 „ - - - Quare igitur non posuit, misisse *Minervam fulmen su-*
 „ *um*? Sed nonnulli dicunt, habere quidem & *Minervam fulmen*,
 „ ut *Jovem*, *Junonem*: id vero tantum non valere, ut possit im-
 „ plere vindictam suam. - - - Unde merito conqueritur
 „ *Juno*, *Minervam* cum de numero Minorum sit, qui fulmen ha-
 „ bent, in Graecorum tamen Classem usam esse *Jovis fulmine*. „

PUBL. Stolidissimum hoc somnium haud immerito deliriis VIII.
 maximis accensendum. TULL. Aliis in Numis apud *Argolatum*
 imaginibus *Palladis*, aut *Minervae*, quas quidem promiscue sumunt;
 adduntur praeconia *Sancta*, *Augustae*, *Fautricis*, *Victricis*. Proprie
 tamen *Pallas*, nullo addita, fovebatur pro Praefide Sapiientiae,
 & Artium: *Strativa* vero a sternendo compellata, a *minando*
 autem dicta *Minerva*, pro Belli Praefide colebatur. Ex *Bellona* vero
 alii *Martis* Uxorem, alio nomine *Nerinen*, & alii ejusdem Sororem,
 Rectricem currus ejus confinxerunt.

Apud

IX. Apud *Patinum* in Gente *Cordia* p. 83. exhibetur *Pallas* per sola symbola sua, dum in Adversa cernitur Galea cristata, insidente noctua, & in Aversa *Ægis* cum capite *Medusæ*. Apud *Liebe* in argenteo magno *Phileteri* Pergami Regis Numo p. 135. sedet *Pallas* cum lauro, hasta, & clypeo, retro appposito arcu. Ibidem p. 404. in ære medio *Augusti* stat illa cum hasta, & patera. Rursum apud *Patinum* p. 34. æque in æreo *Augusti* Numo, signato a *Plutis*, in *Silicia*, stat illa cum hasta, & *Victoriola*, accumbente ad pedes clypeo; & assidente captivo vincto. Demum apud eundem p. 162. in ære medio *Communis Cretensum*, & *Urbis Gortys*, in Adversa est vultus *Hadriani*: Aversa exhibet *Minervam Hyppiam*, i. e. *Equestrem*, equo insidentem, qua imagine, teste *Pausania*, multis in Urbibus *Græciæ* repræsentabatur. Furrat quoque *Minerva Casta*, sive glauca oculis, *Medica*, *Memor*, ac *Musica*, quæ omnia Nomina variorum phantasiæ diversæ pepere-runt.

X. *PUBL.* Nonus, ac decimus Numus tuus, ex Noveno *Musarum* Choro, *Vraniam*, ut videtur, *Siderum*, ac *Orbium Cælestium* contemplatricem, item *Thaliam* *Comicam* referunt. *Fœmina* enim, quæ in priore adstat coronata, dextra stilum quempiam, sive *Sceptrum* esse debeat, sive *tubus Opticus*, extendit supra *Spheram Cælestem*. In altero *Fœmina* bifrons, quasi esset *Ianus*, larvis puto in vultu gemina convestita, stat cum clava nodosa, & Capite, sive larva laureata. Utrobique hinc & inde deorsum legitur: Q. VINCTUS POMPONI. US MUSA. Hunc porro communi *Eruditorum* sensu, obnitente licet *Cl. Harduino*, creditum esse *Curatorem Templi Herculis Musarum* *Romæ*, jam autem ex te audivi *Partis* hujus *Dial. XXVII. n. 15. sqq.* eundemque *singulas Musas*, unacum *Hercule Musagete*, singulis Numis, adud *Patinum* spectandis, excudisse. Unde porro *D. Pluche* has *Deas* confictas crediderit, scilicet ex meris *Isidis* *Aegyptiæ* Signis, vario cum symbolo propositis, æque me antè docuisti, dum de *Apolline Præside* illarum ageremus *Dial. XX. n. 5. sqq.*

XI. *TULL.* *Poëtarum somniis Musæ* tradebantur *Jovis ac Mnemosynes*, i. e. *Intelligentiæ*, ac *Memoriæ Filia*: cum hæc utraque facultas ad omne *Studiorum genus* cumprimis requiratur: quam-

quamvis alii alia commenti fuerint. Putabantur Musicæ Artis peritissimæ, ob concentum & harmoniam scientiarum: atque initio quidem non nisi tres confectas, postea Novenarium ad numerum auctas esse. Unde sic tradit *Varro*: Civitatem quampiam, quam *Sycionem* volunt, terna Simulacra Musarum tres apud Artifices peritissimos constituisse, in Apollinis templo dedicandas, non quod novem vellet, sed ut novenis e Signis tria præstantissima eligeret, propter Musicæ triplicem speciem: quæ scilicet aut voce, aut flatu, aut pulsu instrumentorum fieri consuevissent. Dum vero Artifices tam laudis, quam & mercedis, emulatione mutua cupidi, singuli singula Signa excellentissime elaborassent, sic omnia placuisse, ut inter ea delectum facere difficillimum fuerit. Quare loco tritum omnia Novem Deo *Clario* consecrata sunt: quibus deinceps *Hesiodus* Poëta, primus Nomina peculiariora imposuerit.

Antiquum de illis Carmen, earum Nomina, & Munera referens, ita sonat: XII.

Clio Gesta canens, transactis tempora reddit.

Melpomene tragico proclamat mœsta boatu.

Comica lascivo gaudet sermone *Thalia*.

Dulciloquis calamos *Euterpe* flatibus urget.

Plectra gerens *Erato* saltat pede, carmine, vultu.

Terpsichore affectus cytharis movet, imperat, urget.

Carmina *Calliope* libris heroica mandat.

Vranie Cœli motus scrutatur, & Astra.

Signat cuncta manu, loquitur *Polymnia* gesta.

Mentis *Apollineæ* vis has movet undique *Musas*:

In medio residens complectitur omnia *Phœbus*.

Auson.
Eidyll.
20.

Virgines quidem vulgo prædicantur *Camena*: aliqua tamen ex iis afferuntur & Matres, ut nimirum vatibus placuit. Aliis in Numeris, extra *Pomponii Musæ* supra laudatos, *Pieridum* nullam conspexi. Signa vero earum, & Anaglypha perelegantia copiosa sunt apud *Montfalconium* Tom. I. Part. I. Tab. 56. sqq.